

NUMMVS CASTRENSIS

WILHELMI PRINCIPIS AVRANTII,

Comitis Nassovij; bellum contra Albanum

continuantis: Cusus Anno

Christi 1572.



Urantius Princeps, ut obsessio fratri in urbe Monten-
si opem ferret, Rhenum cum suis copiis, quas in Ger-
mania collegerat, Mosam versus iter intendit. In iri-
nere Ruremondanis per præconem denunciavit, ut
transitum & commeatus suo exercitui præberent:
qui, cum imperata facere detrectarent, mœnibus sca-
læ, faces ardentes portis admotæ fuerunt: Wallones
per vim ingressi, omnia immanitatis signa ediderunt.
Lovanium deditionem facit. Multæ urbes, audito

ipsius Aurantij in Belgium adventu, in illius verba jurarunt, præsidiumque
acceperunt, quas inter Mechlinia & Aldenardum, quarum illa ex compo-
sito: hæcastu in ipsius potestatem venit. Nivella commeatus & pecunias da-
re coacta, quod adveniēti exercitui transitum denegasset. Albanus Au-
rantium magnis itineribus adventare, & jam in propinquo esse audiens, in
castris manere decrevit, neque se inde commovit, licet crebrò ad prælium
invitaretur. Prælium itaque detrectante Nivellam Aurantius cum exerci-
tu, indeque trajecto Rheno, Delphum Hollandiæ se recepit. Albanus au-
tem urbe Montensi deditione acceptâ, & æquis conditionibus Nassovio
ceterisque præfectis dimisso, ingens decus sibi obvenisse putabat, quod va-
lissimi exercitus impetum sine suorum damno elusisset. *Symbolo usus fuit*
Aleros Nassovius, petito è Turni cohortatione apud Virgilium lib. 10. Audentes fortuna
juvat. Ergo eos juvat, qui modulum suum (ut Pindarus loquitur) non spectantes, te-
mere quibusvis se periculis committunt: nihil metuunt, nec terre motum, nec undas
vollunt maiora, quam ferre valeant. Neutiquam

Turpe est (enim) quod nequeas capiti summittere pondus,

Et pressum, inflexo, mox dare terga, genu.

Quare audax verè hic fortis est: qui vires suas librat cum periculo exantlando: ac

H h

licet